

## No. 254. 1283. 6. Febr.

*Abt Burchard und der Convent zu Altzella beurkunden, dass sie bedrängt durch Mangel und Noth 10 Hufen Landes an den Protonotar des Markgrafen Heinrich M. Gebehard verkauft, der sie der Domkirche als bleibendes Eigenthum übergeben habe. Vgl. No. 280 und 298.*

Burchardus nutu divino abbas, Henricus prior, totusque sancti Cellensis monasterii conventus ordinis Cysterciensis, omnibus pie in Christo viventibus et praesentem litteram intuentibus, cum sedulo orationum studio, prosperitatis statum in praesenti seculo et aeternae quietudinis gloriam in futuro. Quia sicut divina disponente providentia fragilis est hominum vita, sic et eorundem labilis esse dinoscitur memoria, ut ea, quae a fide dignis aguntur aut ex bonae fidei contractibus ordinantur, deficientibus hominibus ac labente tempore in oblivionem ducantur, si non scriptorum exemplis circa posteros ob perpetuae recordationis memoriam in testimonium relinquuntur. Huius ergo rei causa est, quod nos universi et singuli nostri conventus et cenobii tenore praesentis paginae recognoscimus et cum protestatione generali publice profiteamur, quod cum dictum nostrum monasterium, immo nos omnes et singuli, vice et nomine eiusdem monasterii, tum propter immoderatam hospitalitatis pressuram frequentem, tum propter varia et irrecuperabilia principibus ceterisque terrae nobilibus impensa servitia fuissemus et adhuc simus adeo gravi depressi onere debitorum, quod usuris de die in diem nobis crescentibus ipsum debitum pro viribus nostrae possibilitatis nullatenus attenuari valeret, sed quadam voragine se continua dilataret, in tantum, quod propter varios necessitatum nostrarum defectus conceperamus conventum nostrum distrahere et ad alia loca seu monasteria nostri ordinis singuli declinare. Et cum tamen in huiusmodi perplexitate laboraremus haesitantes quid potius nobis congrueret faciendum, post multos inter nos tractatus habitos omnibus et singulis placuit et tutius ac utilius visum fuit, aliquas proprietatum possessiones nostri monasterii alienatione perpetua distrahere, quam possessionibus retentis post lapsum temporis usurae usurarum nos involvi et in profundum debitorum sine spe relevaminis nos inmergi. Provida itaque ut diximus inter nos deliberatione habita, omnium et singulorum in hoc resedit consilium et voluntas, quod decem mansos, quos habuimus in villa Chagan<sup>a</sup>), infra Misne et Lomatz sita, cum iudiciis, servitiis necnon cum omnibus iuribus seu utilitatibus, quae nunc sunt aut in futurum poterunt provenire, et cum eadem proprietate et libertate, quemadmodum nos nostrumque monasterium eosdem mansos possedissemus dinoscimur, per modum alienationis perpetuae iustoque emptionis et venditionis interveniente titulo, eleganti viro et omni providentia perspicuo, domino et magistro Gebehardo, illustris principis domini nostri marchionis Misnensis prothonotario, pro centum sexaginta et sex marcis argenti examinati in proprium vendidimus et venditos sibi liberaliter resignavimus, nihil penitus iuris in his decem mansis nobis et nostro monasterio reservantes. Sed eo gratantius et libentius renunciationem voluntariam facientes, quia praefatus dominus et magister Gebehardus ipsos decem mansos deo ac venerandis beato Johanni

a) Grosskagen, Par. St. Afra.